

Vitia caloricitatis.

160. *Ardor*, seu calor morbosus à caloricitate excedente, indicat refrigerationem, quam praestant, si *verus* est et thermometricus, tegumentorum detractio; situs supra lectum, erectus, in sellâ; aër purus, subfrigidiusculus, renovatus; aquosa, subacida, mellita, nitrosa, laxantia, formâ potûs, fotûs, balnei, clysmatis, gargarismatis, tepida, frigidiuscula, frigida, glacialia; sales neutri multâ aquâ diluti; fructus acidi, aqueo, vel acido-dulces; serum lactis; quies corporis et animi; evacuationes sanguineae, aliae: si verò tantum ad sensum et nervosus magis est, vel eadem auxilia, praeter evacuationem sanguinis, cautiûs applicata, vel saepiûs antispasmodica, sedantia, opium; illa, quae causam calorificam nervos praecipue afficientem abigunt, corrigunt.

161. *Algor*, seu frigus morbosum à caloricitate deficiente, indicat calefactionem, quam efficiunt tegumentorum densiorum, calidorum additio; cubiculi calefactio; potus aquosus calidus, aromaticus; spirituosa, calida, stimulantia omnia, interné, externé adhibita; frictiones, vapores, fatus, balnea calida; later calens pedibus appositus; motus et agitatio corporis.

Vitia vis absorbentis.

162. *Hyperabsorptio*, seu excessus absorptionis aut vis absorbentis vasorum huic actioni dicatorum, indicat sui decrementum, quod obtinebitur vim absorbentem exhauiendo per potum copiosum, temperantia, emollientia, diluentia balneo, fotu, iniectu, &c., applicata; vias absorptionis occludendo per oleosa et unguinosa; actionem exhalationis contrariam determinando per sudorifera et cutim excitantia; energiam systematis arteriosi, per stimulus eius proprios, ex-

suscitando, ut illam systematis absorbentis superet.

163. *Anabsorptio*, seu defectus absorptionis indicat excitationem vis absorbentis, quae poterit procurari per medicamenta absorptiva directa, quorum praecipua recenseri solent sales neutri, barytici, aurei, plantae saponaceae, alcalia, sulphurea, antimonalia, mercurialia, digitalis purpurea, aconitum, cicuta, &c., alia ab aliis, sed incerta feré omnia; per excitantia varia, si status corporis vel partis aegrae adynamicus est, vel debilitantia, si ipse hypersthenicus.

164. Vitia vis plasticae aut formativae diversimodé Vitia vis plasticae. indicant, prout diversae sunt alterationes actionis vitalis varia phoenomena assimilationis et nutritionis, secretionis, generationis, atque formationis partium corporis humani, tum naturalium, tum praeternaturalium, producentis, uti hypertrophia, atrophia, exsiccationes, exostoses, degenerationes et metamorphoses partium corporis priorum, formationes novarum, hydatides, cysti, tubercula, scirrhi, cancer, melanosis, encephaloïdes, hermaphrodismus, monstrositas alia, entozoa, &c., &c.; quarum affectionum saepius gravissimarum actionis plasticae corporis humani curationem tradet specialis Therapia.

INDICATIONES SOLIDORUM.

165. *Rigiditas* fibrarum, seu excessus cohaesionis Vitia cohaerentiae. partium solidarum simplicium, indicat laxationem earundem, quae obtinetur fotu, balneo, potu, inlectu,

vapore aquae tepidae , decocti emollientium vegetabilium , mollis olei , pinguedinis , mucilaginis , lactis; aëre tepido et humido ; longâ requie et ignaviâ , vel moderato , saepé renovato , motu ; purgantibus laxantibus , salinis.

166. *Laxitas* fibrarum , seu defectus cohaesionis , indicat adstrictionem earundem , quae paratur feré per eadem opposita atoniae (n. 156.).

Vitia elasticitatis. 167. *Vibratilitas* fibrarum , seu elasticitas excendens , indicat eadem ac hypertonia (n. 155.), cum quâ ita facilé est confundenda.

168. *Inertia* fibrarum , seu elasticitas deficiens , indicat eadem ac atonia (n. 156.) plerumque , sed quandoque eadem ac torpor (n. 158.), cum quo potest etiam confundi , vel sociari.

Vitia voluminis. 169. *Crassitudo* fibrarum nimia (hypertrophia) indicat earumdem extenuationem per cibum parciorēm , exsiccantem ; exercitium assiduum , validum ; somnum moderatum ; resolventia , diluentia , laxantia , vel etiam roborantia , adstringentia ; excretiones copiosiores ; fugam lacteorum , torpentium , incrassantium.

170. *Exilitas* fibrarum nimia (atrophy) indicat earundem incrassationem per cibum copiosum , eupeptum , humidum ; exercitium lene ; somnum protractum ; aërem rusticatum ; gelatinosa , lactea , mucilaginosa ; nervina , roborantia ; excretiones parciores ; fugam validorum irritantium.

Vitia organicā. 171. Morbi partium solidarum organicarum haerentes in numero , magnitudine , situ , nexu &c. , praeter considerationem et medelam vitiorum actionis plasticae

(n. 164.), indicant plerumque auxilia Chirurgiae, quae tota occupatur, ut per suas operationes manu artifice, cum vel sine aptis instrumentis, peractas, vel per sua remedia applicata, peragat haec quinque, aut ablationem destruentis vel laudentis externi, aut adunationem partium morbosé separatarum, vel separationem partium morbosé unitarum, aut ablationem superflui, vel denique supplementum deficientis.

172. Speciatim veró, *unitas soluta* indicat 1.^o ablationem rei peregrinae, vel mortuae, interpositae inter partes separatas; 2.^o harum adductionem ad se mutuó usque in situm naturalem; 3.^o quietem non turbatam in hac ipsā adunatione; 4.^o conservationem in naturali suā humiditate, calore, mollitie; 5.^o conglutinationem iterum naturalem ope advecti, applicati, moderati, sani, liquidi nutritii.

173. Tria priora efficit dextra Chirurgi; quarto conducunt unguenta, olea, mollia, blanda, aromatica, putredini contraria, variis principiis medicamentosis, secundum variam morbi indolem et statum, imbuta; quinto satisfit praescriptione requisitae in aegro diaetae (n. 59. et seq.).

174. *Amplitudines* morbosae partium solidarum indicant canarium, cavorum, ostiorum corporis nimis amplorum angustationem per roborantia, adstringentia, intus, extus, formā fotūs, injectionis, clysteris, suppositorii, pessarii, adhibita; per resolutionem, resorptum, expulsionem aëris, humoris, corporis heterogenei canales, cava ampliantis; per medelam extravasationis (n. 196.), secretionis nimiae (n. 195.); per ablationem causae multiplicis distrahentis, dilatantis;

Solutio
continui.

Vitia diametri.

per imminutionem totius massae fluidorum; per medelam mollitiei (n. 179.).

175. *Angustiae* morbosae indicant canarium, cavarum, ostiorum corporis nimis angustorum ampliationem per emollientia, vario modo adhibita; per obstruentia varia; per resolutionem, resorptum, expulsionem humoris, corporis heterogenei canales respentis; per ablationem causae arctantis, comprimentis, mechanicae saepé, vel quocumque modo partium collapsum, concretionem efficientis; per correctionem irritationis, spasmi, atoniae partium contractarum; per sectionem, incisionem chirurgicam; per caustica; per medelam indurationis (n. 178.).

Vitia magnitudinis.

176. *Protuberantia* morbosā indicat sui depressionem per medelam amplitudinis nimiae (n. 174.), crassitudinis (n. 169.), plethorae variae (n. 182.); omnis denique tumoris, excrescentiae, herniae, prolapsū, auxiliis chirurgicis plerumque.

177. *Depressio* morbosā indicat sui elevationem per medelam angustationis nimiae (n. 175.), exilitatis (n. 170.), inanitionis variae (n. 183.); omnis denique vacuitatis, exsiccationis, marcoris, conformatione nativā, ictu, paralysi, anchylosi, aliâ causâ accidentis.

Vitia consistentiae.

178. *Durities* morbosā indicat sui emollitionem per emollientia et laxautia; per resolventia diu continuata; per stimulantia, quae suo irritamento, etiam ad novam inflammationem adacto, stagnantem materiam fundant et in circulum iterum, vel in pus reducant, cautē tamen adhibita, ne, ut saepé contingit, partis induratae vexatio perversam, cancrosam ipsi natram conciliet; per cereolos simplices et compositos,

spongiam praeparatam; per correctionem vitii plastici aut specifici indurationem solidorum callosam, fungosam, aliam, efficientis.

179. *Mollities* morbosa indicat sui indurationem per remedia laxitatis (n. 166.), inertiae (n. 168.), atoniae (n. 156.); per correctionem vitii plastici aut specifici partes solidas saepé emollientis.

180. Caetera vitia organica, si speciatim etiam considerari velint, praebent indicationes, vel ex iam dictis sat eruendas, vel non nisi in speciali Therapiâ investigandas.

INDICATIONES FLUIDORUM.

181. *Humores in morbis peccantes perspecti* indi- Tres indica-
cant generatim sui immutationem, vel evacuationem, tiones genera-
les humorum. vel etiam augmentum, cum omnes vel qualitate, vel
quantitate maiori minorive debeat peccare.

182. *Plethora*, seu copia exuberans fluidorum, Vitia quanti-
maxime sanguinis (polyaemia), indicat diaetam te- tatis.
nuem, vegetabilem; serum lactis; acida vegetabilia di-
luta; antiphlogistica, diluentia, laxantia; copiosas eva-
cuationes, sanguineas, alias; pediluvia tepida; labores,
vigilias; fugam acrum, irritantium, calefacentium;
omissionem evacuationum consuetarum sensim intro-
ductam.

183. *Inanitas*, seu copia deficiens fluidorum, praesertim sanguinis (anaemia), indicat diaetam plenam, carneam, lacteam; analeptica, roborantia, maxime stomachica; ferruginea; adstringentia; suppressionem evacuationum deplentum; quietem corporis et

animi, somnum, vel etiam moderatum exercitium; fumgam debilitantium.

Vitia qualia-
taſis.

184. *Spissitudo* et *coagulatio* humorum indicant attenuationem, quae procuratur victu ex cibis in primis fluidis et levibus; diluentibus vario modo adhibitis, per calorem, motum, frictionem adiutis; resolventibus salinis, saponaceis, mercurialibus; quandoque stimulantibus; ablatione causarum gluten humorum naturale adaugentium, vel ipsos coagulantium.

185. *Tenuitas* et *dissolutio* humorum indicant inspissationem, quae adquiritur victu gelatinoso ex animalibus et vegetantibus; mucilaginosis, lacteis, demulcentibus; adstringentibus; roborantibus; motu, exercitio; oppositis acrendini et alcalescentiae humorum; remotione causarum gluten humorum naturale auferrantium, vel ipsos dissolventium.

186. *Acredo* humorum indicat sui correctionem, obtusionem, aut reductionem ad debitam blanditiem, quae paratur victu assiduo ex alimentis farinaceis, gelatinosis, blandé oleosis, dulcibus; lacte eiusque sero; fructibus horaeis suavibus, perfecte maturis; mucilaginosis, potu aquae, diluentibus aquosis, emollientibus blandis, quae fiunt specie ptisanae, emulsionis fomenti, balnei, haustus, clysmatis, injecti; succis plantarum saponacearum depurantibus dictis; quiete animi et corporis; opiatibus et anodynibus; deviatione illorum quorumlibet quae acritatem humoribus conciliant.

187. *Acria specifica* dicta, uti rheumaticum, herpeticum, syphiliticum, &c., indicant ea quae generalis acredo humorum, si huius symptomatibus

stipantur; sui expulsionem per varia evacuantia, vel correctionem per remedia specifica, aut cuilibet acri proprietate; medelam symptomatum graviorum, quae tamen per eadem remedia solent curari.

188. *Acescentia* humorum indicat aciditatis absorptio-
nem, correctorium, aut impedimentum ne amplius
generetur, quae fiunt absorbentibus; alcalinis; victu
animali, praecipue ex piscibus, avibus, feris, ovis;
potu spirituoso; amaris, roborantibus, aromaticis,
acribus; rhabarbarinis; exercitio vario; abstinentiam ab
acescentibus, a vinis acidulis, acidis.

189. *Atcalescentia* humorum indicat sui correctio-
nem, aut cohibitionem proclivitatis ad putredinem,
quae obtinentur acidis, acescentibus, maximè vegeta-
bilibus; antisepticis; antiscorbuticis; adstringentibus,
roborantibus, cortice peruviano; diaeta ex lacte, fru-
ctibus horaeis, farinosis acidis, vel faciliter acescentibus;
potu aquoso, farinoso, subacido, vel fermentato levio-
ri; quiete; frigore moderato; bilis abundantioris eva-
cuatione.

190. *Dyscrasiae* aliae humorum, si forte cognitae,
secundum varium principium in ipsis aut in sanguine
redundans, serosum, fibrosum, albuminosum, sali-
num, terrestre, &c., varia indicant auxilia ad expul-
sionem, correctionem, impedimentum eiusdem oppor-
tuniora, ex hucusque dictis faciliter deducenda, vel in
Therapiâ speciali consideranda.

191. *Saburrae* variae indicant sui evacuationem
per vomitoria, vel purgantia; dilutionem per emollientia,
laxantia, blanda salina; immutationem per varia
remedia variae ipsarum indoli contraria; medelam ir-

ritationis illas suppeditantis, vel comitantis; fugam
nutrimenti illas foventis; diaeta^m tenuem plerumque;
roborationem viscerum digestivorum debilium eas in-
ducentium.

Vitia fluido-
rum maiori
respectu ad
solida.

192. *Velocitas humorum*, seu motus eorum nimius (orgasmus) indicat sedationem eius, quae fit ablato illo singulari stimulo, qui fibras irritans motum illum excitat, aut et correctione eius per sua contraria, imprimis per ea quae acrebuntur (n. 186.) adversantur; imminutione totius massae fluidorum; quiete corporis et animi, etiam inducita per opiate et anodyna; diluentibus, refrigerantibus.

193. *Tarditas humorum*, seu motus eorum nimis imminutus (stasis) indicat excitationem maioris impetus, qui produci potest ablato impedimento per remedia corrigentia, vel auferentia; humores attenuando, si tarditas est ab eorum spissitudine, vel imminuendo, si ab exuberantia; solida incitando, si a debilitate, atoniâ, torpore.

194. *Congestio et stagnatio humorum* indicant medlam irritationis, fluxionis, alterius vitii virium vitalium aut solidorum, humores congerentis, retinentis; revulsionem, derivationem; materiae stagnantis resolutionem, vel conversionem in pus, vel iam conversae eductionem e corpore, per auxilia varia, interna, externa.

195. *Secretio et excretio humorum* morbosae indicant curationem vitii eorundem, vel solidorum, vel virium vitalium, talem secretionem excretionem inducentis; ablationem sollicitam stimuli communis, specifici, organo secernenti, excernenti appliciti, vel

causae alterius multiplicis, functiones illas adaugentis, impudentis, depravantis; copiosa diluentia; varia evacuantia; sedationem per narcotica; revulsionem; considerationem assuetudinis; medelam sequelarum.

196. *Extravasatio humorum* morbosa indicat eorundem reductionem in circulum absorptione promotā (n. 163.), resolventium usu, vel eductionem ē corpore diureticis, purgantibus, evacuantibus aliis, incisione, punctione, ulcere artificiali; correctionem statū morbi corporis, vel partium extravasantium; remotionem causarum talem statum inducentium.

197. *Retentio humorum* morbosa indicat medelam extravasationis, secretionis nimiae, excretionis cohibitae; ablationem causarum, saepē organicarum, obstructione, compressione, coalitu, alio modo, retinentium.

198. *Resorptio humorum* morbosa indicat medelam extravasationis, retentionis; correctionem humoris putridi, ichorosi, purulenti, acris, venenosi, aliū, iam resorpti, per antiseptica, alcalescentiam et acredinem corrigentia, antidota (n. 98. et seq.), alia, humoris indoli adaptata; curationem malorum inde promanantium.

199. Sed curatio evacuans fluida postulat singularem expositionem.

200. Morbi materia, vel id, quod ad levamen eius educendum ars indicat, evacuatur equidem per duplīcēm viam; 1.º per *naturalia emunctoria* et spiracula totius cutis externae, narium, oris, faucium, tracheae, oesophagi, ventriculi, intestinorum, vesicæ,

Evacuatio
humorum fit
duplici viâ,
naturali
et
artificiali.

urethrae ; 2.^o per *artificialia* in vasis sanguiferis per phlebotomiam , arteriotomen , scarificationes , hirudines ; in ipsis quoque , sed praecipue in omnibus vasculis exhalantibus et textu celluloso per ulcera vesicatoriis , causticis potentiali vel actuali , fonticulis , setaceis aperta.

Evacuatio consideranda 201. Hinc prima distinctio evacuationum habetur quoad viam à diversitate emunctorii , per quod educitur materia *et* quoad materiam . morbosa aut evacuanda ; altera petitur à diversitate materiae , quae per singulas quasque partes educitur .

Evacuatio triplex quoad finem. 202. Dein evacuationes vix non omnes tripliciter discriminari solent , in *evacuatorias* simpliciter , *derivatorias* , et *revulsorias* , prout triplici fine instituuntur , evacuandi nempe , derivandi , aut revelandi .

Evacuatio sudoris. 203. Primò itaque per cutim educitur ex corpore sudor per sudorifera , et materia perspirabilis per diaphoretica ; quorum quidem remediorum non adeo magna est differentia , ut poté solo gradu actionis diversa .

Auxilia. 204. Sunt autem *talia* omnia , quae humores validius movent per totum corpus , eorum secretiones promovent , atque vasorum exhalantium actionem adaugent ; quae humores aquoso vehiculo inundant , sique materiam secretionum augent ; quae imminuunt resistantiam et constrictionem in vasis exhalantibus circa cutim .

*champeti
tit amputati
dicitur caligab
dicitur
de
dicitur* 205. Prius illud efficitur aromaticis , acribus , stimulantibus , internis et externis ; emeticis , subemeteticis , vel solis , vel cum opio iunctis ; antimonialibus ; valido exercitio .

206. Secundum fit potu copioso aquae purae , saccharatae , acido quodam vegetabili , acetо , aut oxy-melle imbutae , theatae , coffeanae , tepidae , calidae , vel etiam quandoque frigidae ; decoctis diluentibus , sarsaparillae , bardanae , dulcamarae .

207. Posterius verò obtinetur mundatione accuratā totius cutis per vapores , lotiones , balnea , frictiones ; laxatione ipsius per thermas varias , balneum vaporis , teporem lecti et atmosphaerae , vestitum densiore , maximē laneum .

208. Praeparatur corpus ad faciliorem sudoris exercitationem , si id requiritur , humores diluendo et attenuando (n. 184.) ; irritationem , hypertension , erethismum , rigiditatem solidorum corrigendo .

209. Sudor et diaphoresis *indicantur* in morbis à praesentiā incipientis sudoris critici solventis , vel levantis morbum ; à naturali perspiratione suppressā ; à miasmate morbifico , ab acri quolibet , uti rheumatico , catarrhali , per cutem expellendis ; à temperie singulari ipsius aegri ; à tempestate anni frigidā ; à constitutione epidemica cognitā ; à vitiis , cum vel sine febre , habitūs cutanei ; ab hydrope ; à necessitate invertendi immodicas alias evacuationes .

210. Sudor *contraindicatur* à debilitate , atoniā , sensibilitate nimis ; à morbis consumptivis , suppuratoriis , nervosis generatim ; à stadio irritationis , maximē per calefacientia , stimulantia promotus ; ab infaretu primarum viarum ; ab evidenti molimine naturae ad haemorrhagiam , vel aliam evacuationem tunc utiliorem .

211. Sudor nimius *cohibetur* cautā fugā sudorife-

rorum (n. 204. et seq.) ; roborantibus ; adstringentibus externis ; aëre libero , puro , frigidiusculo ; refri- gerantibus ; latentis saburrae evacuatione ; irritationis, causarum irritantium correctione ; antispasmodicis.

E. muci na-
rluin.

212. In *Nares* se evacuant omnes partes membra- nae mucosae pituitariae , quae ingens , et per varia cava distributa est , et secernit mucum , falsó pro pi- tuitá cerebri habitum , saepé liquidum , aliás crassio- rem ; húc et materia humida oculorum , tam natura- lis , quam lachrymosa ; adeoque ingens hīc copia hu- morum evacuari potest , tam vi naturae in morbis , quam et per medicamenta , tum *errhina* , tum ptarmi- ca sive *sternutatoria*.

213. *Indicatur* haec evacuatio instituenda á de- defectu aut nimiā spissitate muci narium ; á morbis catarrhalibus , oculorum , partium naribus vicinarum ; á temperie aegri multum levamen capientis ab huius- modi evacuatione ; á revulsione faciendā á pulmonibus , capite in horum morbis ; á torpore per sternutamenta excutiendo , congestionibus lymphaticis seu mucosis , partu tardiore.

214. *Contraindicatur* á debilitate , laxitate , sensi- litate nimiis ; á morbis nervosis ; á congestionibus san- guineis , maximē capitis , pulmonum , per sternuta- tionem adaugendis. Quod si nimis exercetur haec eva- cuatio , damnosā consuetudine huc derivat assiduo humores.

215. *Excitatur* fotu , vapore , vel decocto per na- res attracto aquae calidae cum emollientibus coctae , eiusdem mellitae aut saccharatae ; decocto mellito ex herbis aromaticis ; ipsis his herbis viridibus contortis,

sicque in nares inditis ; omni stimulo acri, uti pulv-
vere tabaci.

216. *Sistitur*, si nimia sit, maximē si fortis sternutatio comitatur, et destillatio acris, lacte recenti, tepido, malvaceo, naribus attracto; suffimigiis blandis, re-
vulsione; narcoticis.

217. Quum verō per *Os* et in illud se evacuent E. muci oris,
nares, ductus salivosi, tonsillae, et membrana pituitaria, hinc primō hīc est indicatio, medela, remedia, cautela, ut (n. 213. et seq.): quare et hīc collutiones oris, seu apophlegmatismi, et *gargarismata*.

218. Evacuatio saliva*e* indicatur à crisi tali; à na- E. saliva*e*.
turā morbi epidemici; à defectu, spissitate humorum oris; à variis morbis dentes, os, linguam, fauces, guttur, vicinasque glandulas occupantibus; à conge-
stionibus capitis pituitosis, serosis.

219. *Contraindicatur* à debilitate, praecipue ventriculi; à contraindicantibus aliis generalibus evacuationum.

220. *Excitatur* collutionibus oris; manduca*e* lentā, continuā materiae tenacis, acris, stimulantis; hauriendo vapores acres, irritantes, plantarum aromaticarum, tabaci; nauseantibus, emeticis; hydrargyri praeparatis.

221. Nimia salivatio minuitur, vel *sistitur*, aut saltē emollitur largo, assiduo usu potūs tepidi blandissimi, dulcis, malvae*c*, mucilaginosi, lactei; se-
dando impetum per emulsiones blandas, oleosas, anodynas, additis prudenter opiatis; collutoriis subad-
stringentibus; revellendo in alias partes, maximē per evacuationem quamcumque magnam; sed tunc summā

prudentiâ opus est , ne irritatio et fluxus ruant in alias partes , praecipue alvum , maiori cum periculo ; quare qui hîc bené dividit , is tuto imperat .

Expectoratio. 222. *Expectoratio* , seu exscreatio humorum à pulmone et asperâ arteriâ *indicatur* à muco spiso et tenaci , vel tenui et acri , sanguine , pure , aquâ , &c. , in pulmonibus , bronchiis , tracheâ , faucibus accumulatis , effusis ; à crisi , vel levamine per hanc excretiō nem obtinendo .

223. *Excitatur* hauriendo vapores aquae , emollientium , aceti , aromaticorum , fumum balsamicorum ; dulcibus , demulcentibus ; stimulantibus ; nauseosis et emeticis refractâ dosi , scilliticis , sulphureis , stibiatis ; balsamicis et resinosis ; gummi ammoniaco ; vesicantibus ; antispasmodicis .

224. *Sistitur* nimia , aut minuitur , sedando irritationem per emollientia , oleosa , mucilaginosa , lactea ; solvendo spasmum nervosum per antispastica , opiata ; corrigendo debilitatem , atoniam , laxitatem per roborantia , adstringentia , fumigationes aromaticas ; revellendo per alias evacuationes , balnea et frictiones extremitatum inferiorum , vesicans , ulcus artificiale .

Vomitus. 225. *Vomitus* *indicatur* à foeditate matutinâ oris , eius amarore , ructu , nauseâ , morsu ventriculi , appetitu lenté ablato , sine febre concomitante vel causâ , ab initio febris gastricae , biliosae , pituitosae , verminosae , maximè si consentit genius constitutionis ; à spontaneo vomitu inducto ex copiâ aut stimulo materiae contentae in ventriculo ; à naturâ eiusdem materiae , heterogeneae , noxiae , adeoque expellendae ; à loco repleto supra diaphragma ; à naturâ generali mor-

bi , vel epidemicā ; á constitutione anni ; á necessitate aut utilitate spasmos per alienas impressiones solvendi , corpus concutiendi , indeque secretiones et absorptiones promovendi , ventriculum ad medicaminum actionem melius percipiendam disponendi.

226. *Contraindicatur* á contrariis horum (n. 225); á magnâ corporis , praecipue ventriculi , irritatione , hyperaesthesia , erethismo ; á spontaneo vomitu ex nimia sensititate , dolore ventriculi , vel eiusdem sympathiâ cum alterâ parte affectâ ; á difficultate magnâ vomendi ; á nimia debilitate corporis ; á proclivitate in haemorrhagias , graviditate , menstruatione , herniâ , tempore hyemali , generatim .

227. *Praeparatur* corpus aegri ad faciliorem , tutumque vomitum , reddendo materiem mobilem diluendo , attenuando , resolvendo , quod etiam quandoque emeticis validioribus poterit obtineri ; vias laxando , lubricando , per emollientia , oleosa , blanda ; prius mittendo sanguinem , si corpus est plethoricum , aut nimis robustum , simulque validissime agitatum .

228. *Excitatur* oblatâ ideâ maximam nauseam producente , aut agitatione quadam non consuetâ , in navi , rhedâ , &c. quae sit vertiginosa ; irritando fibras faucium pennâ oleo madidâ , aut simili quadam re ; copiâ magnâ ingestâ aquae insulsae cum oleo , melle , saccharo , et similibus tepidis ; omni acri valde , et simul viscoso , ingrato , nauseoso ; ipecacuanhâ , antimonials variis .

229. Horum quidem delectus , dosis , formula , tempestivitas indicantur ab aetate , sexu , temperie , anni tempestate , ideâ morbi et materiae educendae .

230. *Promovetur* potu copioso leni aquoso , mellito , tepido , post singulos quosque vomituum paroxysmos affatim ingestu , reieci to , repetito.

231. *Sedatur* iisdem (n. 230.) ; hausto oleo blando ; antiphlogisticis , temperantibus , demulcentibus; opiatibus; aromatibus; acidis gratis , corroborantibus ingestis , aut externé applicatis ; carbonate potassae cum acido limoniorum effervescente ; cucurbitis epigastrio admotis ; revulsione.

Purgatio.

232. In Intestina plurima evacuari queunt , adeoque hac viā educi ex corpore saliva , mucus oris , fau- cium , oesophagi , ventriculi , intestinorum , bilis du- plex , succus gastricus et pancreaticus , reliquiae ali- mentorum , vermes , sanguis stagnans et corruptus , foeces , alia , tum purulentia quaelibet ex abscessu quocumque critico , symptomatico , morboso.

233. Haec evacuatio per alvum , seu purgatio , vel catharsis *indicatur* à loco repleto , vel obstructo sub diaphragmate ; à ponderis sensu et molestâ tensione abdominis , praecipue hypochondriorum , borborygmis , flatibus ; ab alvo siccâ , vel parcâ , excrementis durioribus ; à saburris , vermibus , venenis , heterogeneis aliis primarum viarum , per vomitum haud eliminandis ; à necessitate minuendi humorum copiam , promovendi absorptions eorum , intestina ad vividiorem medica- minum actionem disponendi ; à fluxu alvi spontaneo inducتو ex copiâ aut stimulo materiae contentae in primis viis , vel ex harum erethismo ; à naturâ singu- lari , generali , epidemicâ morbi ; à constitutione anni ; à revulsione et derivatione ; à signis coctionis ; à statu aegri.

254. *Vetatur* á contrariis; ab irritatione, dolore, sensilitate summis ventriculi et intestinorum; ab eorumdem scirrho, vel cancro; á magnâ debilitate corporis; á fluxu alvi colliquativo; á graviditate, puerperio, menstruatione, maximé per purgantia fortiora.

255. *Excitatur* diluentibus, simulque leniter stimulantibus, magnâ copiâ, iejuno corpore, in frigore modico haustis, uti sunt aquae minerales salinae, sulphureae, ferratae; sero lactis; succis horaeorum maturis et recentibus; emollientibus, oleosis, dulcibus, acidis; salibus neutris; acribus vario stimuli gradu donatis; frictione abdominis, praesertim cum purgantibus acrioribus; emeticis refractâ dosi.

256. Horum delectus, dosis, formula, praeparatio, opportunitas indicantur, ut de vomitoriis dictum est (n. 229.).

257. *Promovetur* potu aquoso, mellito; iuscule salito, pingui, butyrato; sero lactis recentis et similibus; deambulatione, motu aliquo, situ corporis verticali.

258. *Sistitur* potu olei, oleosis blandis; acidis; temperantibus, demulcentibus; opiatis; spirituosis; roborantibus, adstringentibus; revulsione in alias partes quascumque.

259. *Cavendum* est in emeticis et purgantibus propinandis, iterandis, ne signa saburrae fallacia habentur pro veris: quippe continuato usu emeticorum et purgantium sordes, mucus, inappetentia, &c., saepe augentur ab humorum salivalium, oesophagei, gastrici, enterici, biliosi, auctâ secretione ob stimulum organis harum secretionum et excretionum applicatum.

Clysmata. 240. Fit et evacuatio alvi per Clysmata, seu iniectiones in anum; quae promptius, certius, et mitius auxilium, quam purgatio, sistere solent; quaeque indicantur ab intestinis, maximè crassis, organisque abdominalibus irritatis, inflammatis, valde dolentibus, obstructis, aliter affectis; ab excrementis durioribus ita molliendis; à viribus attritis aegri, eiusve temperie summè irritabili, simulque urgente necessitate evacuationis; à siccitate, calore, motu nimio humorum in acutis; à conciliandis tum revulsione, tum lenimine requisito in fibris et humoribus acribus.

241. Clysmata itaque *varia* sunt: Diluentia ex aquâ, sero lactis: Emollientia et lenientia simul ex iure pingui, oleo, farinosis decoctis; decoctis emollientibus, lacte, saccharo, melle: Stimulantia leviora, aqua salsa, nitrosa, saponacea, decocta purgantium leniorum, urina: Acria ex decoctis purgantium acrium, ex famo injecto tabaci.

Suppositoria. 242. Atque hinc Suppositoria, seu corpora solida orificio ani applicata, moventia, stimulantia, acria intelliguntur. Corpora dura uncta, mel coctu spissum, sapo praebent cum acribus haec cuncta.

243. In his iterum observanda eadem ac in vomitu et in purgatione (n. 229. 236).

Diuresis. 244. Diuresis, seu evacuatio per vias urinae indicatur à signis coctionis; à fluxu critico materiae morbosae per renes; à materie acri qualibet, heterogeneâ, calculosâ, purulentâ per dictas vias evacuandâ; à loco affecto; ab hydrope; à constitutione epidemicâ; à temperie aegri auscultante huic evacuationi, vel assuetâ.

245. *Vetatur* á contrariis.

246. *Excitatur* usu aquae copiosae, aquosorum, seu diluentium; salibus; acidis levibus vegetabilibus, mineralibus alcoholisatis dilutis; vinis tenuibus; acribus, maximé volatilibus, resinosis, balsamicis; nonnullis vegetabilibus vi diureticā praeditis; frictione ventris cum dictis, cum oleo; frigore corporis superficie applicato.

247. *Juvatur* vacuo stomacho; digestione praegressā; motu corporis leni; aëre frigidiusculo, calidis interim lumbis, hypogastrio, pube, perinaeo.

248. *Sistitur*, aut sedatur mucilaginosis, farinosis, gelatinosis; roborantibus, adstringentibus; opiatis; determinatione in alia loca, in primis autem sudore per motum aut sudorifera excitato, et aliquamdiu continuato.

249. *Evacuatio sanguinis menstrui*, vel puerperii per uterum *indicatur* ab aetate pubertatis; á plethorā universalī, vel locali uteri; á morbo quoconque ex illius evacuationis defectu pendente, eiusque symptomatibus, ut in primis in puerperio.

Catamaenia
et
Lochia.

250. *Exercetur* fomentis, balneis, pedum crurumque; frictionibus saepē exercitatis in pedibus, cruribus, femoribus, hypogastrio; cucurbitis ad femora et crura superiora applicatis, saepe renovatis; missione sanguinis ex venis pedum; laxantibus; emplastris ex gummi foetidis umbilico, femoribus, cruribus adhilitis; electricitate; ferruginosis; aristolochicis et emmenagogis dictis plerumque infidis; deum remediis chirurgicis, diacticis, pharmaceuticis, quae contra-
ria sunt impedimento singulari evacuationis; quae tan-

tum inveniri possunt singularibus signis in qualibet specie propriis.

251. *Contraindicatur* praecipue ab omni graviditatis suspicione.

252. *Sistitur*, si nimia fuerit, revulsione, uti per venaesectionem in brachiis, ligaturas in iisdem, in digitis, cucurbitulas mammis admotas; adstringentibus, roborantibus; linteis aquâ frigidâ, aceto madidis, lumbis, pubi, perinaeo appositis; opiatis; secundinarum eductione.

Sanguinis missio.

253. *Missio sanguinis intra terminum*, quo vires non nimis imminuuntur, minuit copiam humorum arteriosorum et venosorum, adeoque vasorum plenitudinem et distensionem; istorum vires, uti et solidorum omnium, praecipue muscularum, infirmat; irritationem temperat, eiusque noxios effectus cohibet; congestiones et obstructa inflammatoria expedit; pulsus debiliores aut etiam expeditiores reddit; circuitum, secretionem, excretionem promovet; vires oppressas erigit; revellit; derivat; laxat; refrigerat.

254. Hinc morbos quamplurimos, eosque varios admodum, tollit; simul tamen mutationes miras profert.

255. *Indicatur* à copiâ nimiâ humorum, maximè sanguinis, nimiâque inde resistentiâ cordi, vasis, pulmonibus natâ; à plethorâ etiam spuriâ quandoque, vel relativâ; à motu inde suffocato, spirandi difficultate, aestu, et anxietate magnis; à morbis inflammatoriis, congestionibus sanguineis, doloribus summis, secretionum et excretionum suppressione inde promanante; à motu nimio humorum, aut etiam à motu

tardiori eorundem orto ex dictis ; á pulsu pleno , magno , duro ; á calore nimio per omnia vasa ; á nimio impetu sanguinis moti in unam partem , ut in haemorrhagiis et fluxionibus ; ab omni feré partis cuiuslibet irritatione , nimioque virium vitalium incitamento ; ab epidemicis cognitis ; ab aetate , sexu , victu , vi- tae genere , temperie , climate , anni tempore , con- suetudine .

256. *Optima fit lato vulnere secando inflichto ; in Phlebotomia.*
venâ liberâ , magnâ , facilé detegendâ , remotâ ab arte- riis , nervis , tendine ; accelerando velocitatem sanguini- nis , dum fluit , respiratione forti , tussi , motu mus- cularum circa venam apertam ; iacenti aegro ; num- quam usque ad animi deliquium .

257. *Praeparatio fit , ad feliciorem eius admini- strationem , frictione , fomento .*

258. *Quantitas et numerus indicantur á magni- tudine morbi ; ab aegri temperie et robore ; ab effecti- bus prioris detractionis ; á recrudescentiâ symptomatum ; á sanguine ruberrimo et crasso , crustâ albâ et tenace maximè obducto , si hoc signum caetera co- mitantur .*

259. *In casibus dubiis sanguis cauté semper mit- tendus est , exiguum eius detractionem priùs expe- riundo .*

260. *Vetatur á viribus debilibus , non apparen- ter talibus ; á plurimis morbis chronicis ; á nervosis et cachecticis , contagiosis et putridis plerumque ; á declinatione acutorum ; á stadio frigoris et sudoris fe- brium intermittentium ; á cognitâ naturâ epidemici , vel endemici morbi ; á crisi iam factâ alibi ; á pulsu*

parvo, debili, intermittenti, qui talis à vasorum et vi-
rium oppressione non fit; á senio, primâque infantia;
á temperie infirmâ, sensili, molli, obesâ; saepius á
recenti statu puerperii.

261. Unde patet quanto humani generis damno
hoc remedium, vel semper, vel numquam, aut feré
numquam adhibendum censeatur, ut in doctrinâ quo-
rundam Medicorum, tum veterum, tum recentium,
videri potest.

Arteriotomia. 262. Sectio arteriae non nisi raró et cauté insti-
tuenda ob pericula ipsam insequentia.

*Evacuatio
haemorrhoi-
dalis.* 263. Sanguis educendus ex vasis Haemorrhoidalibus
indicatur á temperie atrabiliariâ; á morbis cum phan-
tasiâ laesâ frequenter; á consueto fluxu eorum vasorum
iam suppresso; ab eruptione sanguinis per novas iam
vias, qui olim felicius per haemorrhoides evacuaba-
tur; á plurimis morbis viscerum abdominalium; á
reynulsione.

264. *Elicitur* emolliendo haec vasa fomento molli,
calido, ex aquâ, oleo, melle, emollientibus, specie
clysmatis, vaporis, fomenti applicatis; aperiendo per
frictum cum asperis, aut per hirudines; usu aloetis-
corum, aut aliorum etiam purgantium.

Scarificatio. 265. Scarificationes, seu incisiones lanceolâ in cute
peractae, tum solae, tum per cucurbitulas adiutae,
agunt stimulando et evacuando.

Hirudines. 266. Hirudinum cuti prius aut ab ipsis incisae ad-
motarum et sanguinem sugentium actio et hinc bené
intelligitur.

*Ulceræ
artificialia.* 267. Ulceræ artificialia in cute, *vesicatoriis*, *cau-*
sticis, *fonticutis*, *setaceis* aperta, dolore leniore sti-

mulant; irritationem localem inducunt; nervos excitant, totumque inde sistema nervosum afficiunt; spasmos solvunt; stimulus morbosos, maximè inveteratos, per suum invertunt; nimiae repletioni, etiam longinqua, exitum dant; humores acres, alias, evanuant; derivant; revellunt.

268. Morbi incogniti, vel indeterminati adhuc, vel Morbi incogniti.
novi (n. 142.), tum febriles praecipue et epidemici, tum
alii, petunt methodum initio indirectam (n. 28.), quae
in generali solū communium remediorum applica-
tione subsistens, *generalis*, aut in curandis urgenteribus symptomatibus occupata, *symptomatica* au-
dit: necessaria semper in novi morbi ingressu, aut
in morbo cognito, praecipue febre, sed medicatrice,
aut quotiescumque iustum febris moderamen adest,
medico spectatorem agente.

269. Interea opera danda est, ut morbi ignoti in-
doles innotescat, 1.^o ex ipsius solis naturae viribus
relicti solutione; 2.^o iuvantium et nocentium observa-
tione; 3.^o cognitione corregentium morborum. Quonodo-
cognoscendi.

270. Methodus indirecta scopum suum attingit, Media meth-
indirectao.
duo haec praestando quammaximè: consultit vitae vi-
ribusque vitalibus per auxilia methodi conservatoriae
(n. 50. et seq.), et curat symptomata graviora per
auxilia methodi palliativae iam sequentis.

METHODUS PALLIATIVA.

Obiectum
meth. palliat.

Quid sit indi-
cacio sympto-
matica.

271. Methodus palliativa satisfacit *indicationi palliativae, mitigatoriae, symptomatice, seu urgenti*, quae exposcit mitigationem et curationem singularē symptomatum urgentiorum, separatim à curatione morbi principali.

272. Mitigando symptomata semper etiam aliquid de morbo primario tollitur: unde omnia sanans symptomata simul, totum ferē morbum sanat.

Quaenam
symptomata
praecepi mi-
tiganda.

273. Primaria autem hīc considerata sunt sitis, tussis, dolor, anxietas, nausea, calor, frigus, delirium, sopor, vigiliae nimiae, spasmus et convulsio, excretiones immodicæ, lipothymiae.

274. Quae omnia orta ex morbo, ut suā causā, hoc ablato cessabunt, adeoque, si ferri queunt tam diu sine periculo vitae, singularem curationem vix requirunt.

275. Quin saepe oriuntur ex conatu et reactione vis vitae molientis crisin, vel materiae criticae dictae excretionem; tum hanc praecedunt, comitantur, sequuntur, nec turbari debent.

276. Si verō intempestiva, nimis saeva, quam ut ferri possint à vitâ, aut ab aegri patientiâ, vel aliud gravius malum productura sunt, tum singula sunt lenienda suis remedii propriis, habitâ semper ratione causae et statū morbi ipsius.

277. At princeps *canon* esto: medendum symptomati sine dispendio virium vitalium, nisi illud

ab harum excessu pendeat, ut effectus à suā causā.

278. Sitis á siccitate, acredine, irritatione totius corporis sedatur potu largo, continuato, tepido, quandoque frigido, aquoso, nitrato, mucilaginoso, paucis acidis admistis, vel et aromaticis, aut spirituosis apud debiliores grato; sero lactis; hydrogalā; iusculo pulli tenuiori. Balnea, fomenta, clysmata hīc etiam in usum vocata prosunt.

Sitis.

279. Sitis á siccitate, acredine, irritatione partis singularis, ut oris, linguae, faucium, oesophagi, levatur usu praecedentium; colluendo et gargarizando saepe per eadem; emolliendo glandulas et meatus salivales per epithemata et fomenta ex laxantibus et diluentibus.

Tussis.

280. Tussis sedatur diluentibus, emollientibus; demulcentibus variis; laxantibus; antispasmodicis, narcoticis; pediluviis, aliis revellentibus.

Dolor.

281. Dolor, ut symptomata, sedatur acre diluendo, demulcendo, corrigendo (n. 186. 187.); fibras nimis irritatas laxando potu, vapore, fotu, balneo, iniectu diluentium, laxantium, demulcentium, anodynorum; motum humorū compescendo (n. 192.); obstructa reserando (n. 175. 194.); spasmos solvendo per antispasmodica; calorem temperando per refrigerantia; sensum obtundendo stupore inducto per narcotica interné exhibita, vel applicata externé.

282. Anxietas nimia levatur per eadem ferē, quibus dolor; praeterea acre irritans, saburras, flatus expellendo per vomitoria, purgantia, carminativa, alia; sedando animi affectum.

Anxietas.

Nausea.

283. Nausea tollitur abstinentiâ á cibis; vomitoriis, purgantibus, diluentibus, acidulis, dulcibus; oblivione et vitatione illorum quae nauseas creaverint; quiete; aquâ frigidâ; antispasmodicis, narcoticis, roborantibus, internis, externis epigastrio applicatis; antiemeticis.

Calor
et frigus.

284. Calor et frigus immoderatum mitigantur per ea quae (n. 160. 161.).

Delirium
et
vigiliae.

285. Delirium et Vigiliae nimiae, ex malo, quod ipsum cerebrum infestat, ortae, difficulter admodum sopiauntur, et vix nisi extirpato prius morbo hoc cephalico.

286. Si oriuntur á siccitate, calore, irritatione nimis, compescuntur victu, fotu, balneo, iniectu ex aquosis, mucilaginosis, emollientibus, laxantibus, acidis, multum diuque usurpati.

287. Si oriuntur ab acri quoquaque, curatione acris (n. 186. 187.) tolluntur.

288. Si verò inde fiunt, quod humores et motus rapiuntur nimis in cerebrum, curatio absolvitur variis auxiliis, quae constituant eadem (n. 192.); fomenta, balnea, epispastica, applicata inferioribus; cruris ex pede emissio, haemorrhoidum solutio, menstruorum laxatio; capillorum abrasio; hirudines, cucurbitulae ad tempora, occiput, retro aures; scarificatio cruenta nuchae; sectio venae iugularis; medicamenta ad caput emollientia, sedantia, subinde actu frigida, uti acetum simplex, rosaceum, oxycratum, olea anodyna; quies corporis et mentis, tenebrae, absentia obiectorum excitantium; frigus modicum.

289. Si denique proveniunt á sensilitate nervosâ

nimiā , spasmis , debilitate , atoniā , tunc auferuntur
opiatis , vino , diffusivis , antispasmodicis , roborantibus ,
accommodationibus .

290. Sopor , qui potest induci ab iisdem causis
delirii , per eadem quoque auxilia excutietur .

Sopor.

291. Spasmus et Convulsio sanantur , pro variis ip-
sorum causis , emollientibus ; purgantibus saburras ,
acria , vermes ; antiphlogisticis ; antipasmodicis ; narco-
ticis ; epispasticis ; revellentibus ; internis , externis .

Spasmus
et
Convulsio.

292. Excretiones nimiae sedantur per ea , quae in
pertractione evacuantium nimis agentium dicta sunt
(n. 203. et seq.).

Excretiones.

293. Nimia excretio *cruoris* per laesas arterias , ve-
nasve maiores sedatur compressu , ligaturā , combustio-
ne vasis , inspissatione fluidi , contractione solidi ; ubi
agaricus , spongia marina , alcoholia , spirituosa , glu-
tinosa , adstringentia , vario modo secundūm variam
mali sedem adhibita , sunt praestantia .

294. Lipothymiae ortae ab anxietate febrili , ab ir-
ritatione systematis circulatorii , maximē cordis vaso-
rumque maiorum , à materiā ventriculum praegravante ,
sanantur diluendo , refrigerando , laxando , evacuan-
do , anxietatem et irritationem illas corrigendo (n. 282.
148. 150.): Si autem à vitio sensibilitatis nervosae , tum
stimulantibus , diffusivis , nervinis , antispasmodicis :
Si ab evacuatione , per nutrientia eupepta , diffusiva :
Si à suffocatione hysterica , tum per foetida antihy-
sterica .

Lipothymiae.

AXIOMATA THERAPEUTICA.

Axiomata
medentem
dirigentia.

295. Quoniam verò frequenter contingit contraria simul in aegro occurrere Medico, isteque, praesertim iunior et parum exercitatus, variis in casibus anceps haeret, licet doctrinam therapeuticam hucusque traditam optimè sciat, quaedam communia axiomata praestò sunt, quae determinant quid eligendum sit ex dubiis, quaeque debent considerari tanquam canones therapeutici et praecepta quaedam, seu monita generalia medentibus difficultates saepius tollentia.

Praecipua sunt haec:

1. Quidquid in aegro indicat, secundum vel contra naturam est, ac primum sui conservationem, alterum ablationem semper requirit.
2. Conservatio similibus, curatio plerumque contrariis absolvitur.
3. Quó natura bené vergit, eó ducendum, ideoque salutares naturae motus adiuvandi, eiusque actio numquam medicamentis perturbanda.
4. Causa curans per remedia morbos est vis vitae superstes, ideoque ubi aequé urget indicatio vitalis et simul alia quaelibet, satisfaciendum est vitali, quae semper inde est primaria.
5. Sed ubi indicatio impar simul urget, tum semper erit satisfaciendum maxima, seu urgentiori.
6. Si indicatio obscura et dubia fuerit, è ratione morborum similium eruatur; indicata autem et electa hac ratione remedia cauté tentanda sunt.

7. Si tentata nocuerint, contraindicantia sunt, ideoque reiicienda.

8. Si tamen indicatio certa et evidens fuerit, tentata sunt continuanda, quamquam non illico iuvent, vel etiam videantur nocere.

9. Si tentata iuvent, indicationem dubiam confirmant, atque continuanda sunt.

10. Si in obscurâ et dubiâ indicatione indicata vitae periculum non inferunt, omnino tentanda sunt, quia praestat anceps experiri remedium quam nullum; sed, periculo ex iis vitae imminente, nihil temeré urgendum, cum melius sit sinere mori quam occidere, licet quandoque quos consilium non restituit, temeritas adiuvat.

11. Cum in medicinâ maioris momenti sit non nocere quam prodesse, frequenter solûm licet negativâ medicatione uti: itaque, indicatione incertâ, vel morbo nondum determinato, ab usu remediorum heroicorum abstinentum est, utendumque methodo solûm indirectâ et generali.

12. Si dubitet medicus de evacuatione instituendâ, animadvertat tunc, eam plerumque plus nocere praeter rem factam, quam omissam, ubi fuerat indicata.

13. Si tamen dubitet de evacuatione instituendâ, evacuationes fiant *exploratoriae*, per enemata, laxantia, exiguae phlebotomias, &c.; inde enim indicatio num certitudo eruitur non raró.

14. In summis et urgentibus malis citô et semel tentanda summa remedia.

15. In leviori malo sensim et repetendo danda re-

media leniora, à quibus ad validiora, si dein opus fuerit, tutiús progredimur.

16. In omni feré morbo, praesertim febrili, aut prodest, aut saltem non nocet, curam à methodo plus minus antiphlogistica ausplicari.

17. In omni phlogoseos concursu cum aliis vitiis quibuscumque prima ratio habenda est inflammationis.

18. Optima remedia, idiosýnerasiae, vel consuetudini, vel etiam gustui contraria, nocere solent, etsi aliis saepius utilia fuerunt.

19. Cum eadem symptomata morbi non omnino idem significant, si non sit eadem constitutio temporis, inde maximi momenti lex sequitur, ut eidem ad speciem morbo sub differentis constitutionis annuae dominio non eandem medicinam faciamus.

20. Non est persistendum in unius morbi idea, ut simus immemores complicationis, aut transitū in alium, sed perattenti et cauti in diversorum morborum differentes methodos requirentium commixtione.

